



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod in his fallit dialecticorum regula de contrariis. F. G. H

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

malum quia iniquus. Omnis itaque natura, etiam si vitiosa sit, in quantum natura est, bona est: in quantum vitiosa est, mala est.

Quod regula dialecticorum de contrariis fallit in his, scilicet, bono & malo. F

Ideoque in his contrariis quae mala & bona vocantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicitur, Nulli rei duo simul inesse contraria. Nullus enim potest autibus simul dulcis est & amarus. Nullum simul corpus ubi album, ibi & nigrum: & hoc in multis ac pene in omnibus reperitur contrariis, ut in una re simul esse non possint. Cum autem bona & mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed mala omnino sine bonis, & nisi in bonis esse non possunt. Et haec duo contraria ita simul sunt, ut si bonum non esset in quo esset, prorsus nec malum esse potuisset: quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumpere: quoniam nihil est aliud corruptio, quam boni exterminatio. Ex bonis ergo mala orta sunt: & nisi in bonis non sunt: nec fuit prorsus unde oriretur vicia mala natura, nisi ex angeli & hominis natura bona, unde primitus orta est voluntas mala.

Epilogum facit ad alia transiturus. G

Ex his aperitur, quod primo & secundo supra investigandum diximus, scilicet quae fuerit origo mali, & in qua re sit. Ex bona enim re ortum, & in re bona consistere, praemissis testimoniis comprobatur.

Sententia illi qua dictum est bonum esse malum, opponitur de prophetia quae ait, Vae qui dicunt bonum malum. H

Ad hoc autem quod dictum est, malum esse quod bonum est, quidam sic opponunt. Si bonum malum esse dicimus incidimus in illam sententiam propheticae, ubi legitur. Vae his qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Igitur si hanc maledictionem vita

Gg re vo-

*In Enchi.
Ibid. ca. 14.
in princip.*

*Ibid. paulo
inferius.*

*Ibid. in En-
chirid. ca. 15.
in medio.*

*Ibid. cap. 13.
ad medium
in Ench. r.
Esa & 5.6.*

*Aug. in En-
chi. c. 19. ad
principium.*

*Ibidem 13.
inferius.*

*Aug. ca. 27.
li. 12. con-
tra
Faustum
Manich.
to. 6. Idem
August. in
princip. ca.
11. de duab.
animabus
li. Id quod
reperitur,
ca. 15. li. 1.
retr.*

*To. 1. Ambr.
Cap. 8. in to-
mo. 4.*

re volumus, nullatenus dicere debemus bonum esse malum, & e converso. Hoc autem Aug. in eodem libro determinat dicens, Id quod dictum est in prophetia intelligendum est de ipsis rebus quibus homines mali sunt, non de hominibus. Unde qui adulterium dicit bonum, in eum cadit illa prophetica detestatio: & in eum qui dicit malum hominem bonum vel bonum esse iniquum. Qui non dicit hominem in quantum homo est, malum esse: & bonitatem esse iniquitatem, opus Dei culpatur, quod est hominis vitium hominis laudatur, quod est iniquitas.

QVID SIT PECCATUM.

DISTINCT. XXXV.

POST hæc videndum est, quid sit peccatum. Peccatum est, ut ait Aug. Omne dictum, vel factum, vel concupitum, quod fit contra legem Dei. Idem in li. de duabus animabus. Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia verat. In utraque assignatione, de actuali peccato agitur & mortali, non veniali. Ex prima descriptione ostenditur peccatum esse voluntas mala, siue locutio & operatio prava, id est, actus malus tam interior quam exterior: ex altera vero, tantum ostenditur esse actus interior. Voluntas enim, ut in superioribus dictum est, motus animi est: actus ergo interior est. Ambr. quoque in libro de paradiso ait, Quid est peccatum nisi legis divinæ prævaricatio, & cælestium inobediencia præceptorum? Ergo in prævaricante peccatum est, sed in mandante culpa non est. Non enim consisteret peccatum, si interdictio non fuisset. Non consistente autem peccato, non solum malitia, sed etiam virtus fortasse non esset: quæ nisi aliqua malitiæ fuissent semina, vel subsistere, vel eminere non posset. Ecce prævaricationem legis, & inobedienciam definit Ambrosius esse peccatum.

Diuer-